

muniatur. Nos igitur hujusmodi votis benigne annuentes eumque peculiari beneficentia prosequi volentes, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus, idque mandamus, ut, si ita se res habent, prout expositae, dummodo ad eam sacram aediculam cuique pateat aditus, nec ibidem sint fores, quae ad aliquam ducant domum, secus omnino claudantur, atque ab aedibus sit adeo sejuncta, ut nullus inde neque accessus neque prospectus habeatur, eandem ipsam et si ejus porta viam publicam haud spectet, decreto felicitis recordationis Pauli V. praedecessoris Nostri „*de non celebrando in oratoriis privatis*“ edito minime obnoxiam declares atque auctoritate Nostra apostolica permittas, ut, quotiescumque capax et decenter ornata nihilque eorum, quae ad sacrum in ea faciendum opus sunt, desideretur, absque ullo jurium parochialium detrimento, divina hostia per quemlibet sacerdotem a te approbatum possit immolari, ac ut quicumque diebus festis pietate illa, qua decet, inibi sacrificio assistet, ecclesiae praecepto satisfecisse ducatur. Id concedimus atque indulgemus non obstantibus praemissis atque constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die 14. Februarii 1826.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 401.)

Leo PP. XII.

V. Fr. Ep. Calatayeronensi.

Exponi Nobis nuper curavit dilectus filius Baro Joseph Coletti loci di Tufo appellati istius dioecesis Marsorum, in quadam publica ecclesia sub titulo sancti Josephi in eodem loco sumptibus cujusdam sui patris excitata suaeque domui adhaerente et a parochiali ecclesia dimidium milliarii

circiter distante, parvum chorum instar odei auctoritate apostolica, prout asseritur, fuisse apertum, unde non solum familia oratoris ejusque hospites et familiares sed quilibet etiam ex populo, quem praedicta angusta ecclesia capere haud posset, sacrosantum missae sacrificium diebus festis audirent; nunc autem, ut ejusdem populi spirituali utilitati et commodo orator consuleret, cum magna vigeat penuria sacerdotum et parochialis ecclesia non parum distet, ampliatio jam praedicta odeo aliisque fenestris circum parietes internas praedictae ecclesiae apertis, duplici tamen crate munitis, quarum consuetus conservatur accessus, enixis precibus a Nobis petit, ut indultum praedictum ad nove reclusas fenestras ampliaturque odeum extendamus.

Nos igitur praedictum oratorem ac singulares personas, quibus praesentes literae favent, speciali beneficentia prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis eidem oratori petitam facultatem admittendi in odeum et novas fenestras quemcumque tam de sua familia, quam de populo del Tufo, ad praemissum effectum, auctoritate Nostra apostolica gratis impertiaris; ita tamen ut accessus ad domum oratoris caute custodiatur et ea omnia serventur, quae circa usum chori et fenestrae hujusmodi praescripta sunt; itemque in muro dictae ecclesiae apponatur lapsis in loco patienti, in quo declaretur, domum contiguam ejusdem oratoris immunitate ecclesiastica minime gaudere. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum 20. Junii 1826.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 438.)

Leo PP. XII.

V. Fr. Ep. Urbeventano.

Exponi Nobis nuper curavit dilectus filius Marchio Henricus Gualterio patricius Urbeventanus, sibi, permittente generali consilio civitatis praedictae in forma juris valida celebrato et per delegatum Nostrum apostolicum Viterbiensem et Centum cellarum approbato, ac de consensu congregationis Nazarenae appellatae in propria ecclesia sancti Josephi praedictae civitatis erectae, concessum fuisse, ut per arcum construendum valeat publicam trajicere viam et communicationem cum muro praedictae ecclesiae habere. Quum autem praecipuus hujusce operis finis sit, ut parvum chorum in muro dictae ecclesiae valeat aperire, unde ipse sui-que descendentes, haeredes et successores in perpetuum, nec non omnes in ejus praedictis aedibus habitantes sacrosantum missae sacrificium in eadem publica ecclesia diebus etiam festis audire possint, enixis precibus ejus nomine petitum fuit a Nobis, eam ut veniam atque indultum ei benigne concedamus.

Nos igitur praedictum Marchionem speciali beneficentia prosequi volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis, eidem Marchioni petitam facultatem aperiendi in loco apto muri praedictae ecclesiae parvum chorum, appositis tamen in eo cratibus lignea et ferrea ad praemissum effectum, pro sua suorumque descenduntium, haeredum et successorum in perpetuum, nec non omnium in dictis aedibus habitantium spirituali utilitate et commodo, auctoritate Nostra apostolica gratis impertiaris, ita tamen, ut in muro dictae ecclesiae ac in loco patienti apponatur lapis, in quo declaretur domum praedictam Marchionis

contiguam immunitate ecclesiastica minime gaudere.

Datum Romae die 30. Jan. 1827.

(Bull. r. Contin. t. XVII. p. 29.)

Pius PP. VIII.

V. Fr. Archiep. Toletano.

Exponendum Nobis curavit dilectus filius Alvarez de Toledo ex magnatibus Hispaniarum primi ordinis, se in ruralibus aedibus intra limites istius tuae Toletanae dioecesis sacellum seu aediculam publicam aedificare velle, ubi sacrum fieri possit, cui scilicet quicumque diebus festis intererit, praeccepto, quod est de assistendo divinis, omnino satisfaciatur. Hinc supplici cum prece a Nobis petit, ejus rei ergo apostolica venia muniri.

Nos igitur hujusmodi votis benigne annuentes, cumque peculiari beneficentia prosequi volentes, tibi venerabilis frater eas partes imponimus atque mandamus, ut si ita se res habent, prout expositae, dummodo ad eam sacram aediculam cuique pateat aditus, nec ibidem sint fores, quae ad aliquam ducant domum atque ab aedibus sit adeo sejuncta, ut nullus inde accessus neque prospectus habeatur, eandem ipsam, etsi ejus porta viam publicam haud spectet, decreto felicitis Pauli V. praedecessoris Nostri de non celebrando in oratoriis privatis edito minime obnoxiam declares, atque auctoritate Nostra apostolica permittas, ut quotiescumque capax ac decenter ornata nihilque eorum, quae ad sacrum in ea faciendum opus sunt, desideretur, absque ullo jurium parochialium detrimento divina hostia per quemlibet sacerdotem a te approbatum possit immolari, ac ut quicumque diebus festis pietate illa, qua decet, inibi sa-

favoribus et gratiis prosequi volentes et Vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes et absolutas fore censentes supplicationibus vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Vobis, qui (ut asseritis) locorum Gallicii et Messanelli Marsicen. seu alterius Dioecesis jurisdictionem temporalem in illis seu eorum altero exercen. Baro et Baronissa respective existitis, ut in privatis Domorum vestrae habitationis in Civitate et Dioecesi Marsicen. existen. Oratoriis ad hoc decenter muro extractis et ornatis seu extruendis et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis per Ordinarium Loci prius visitandis et approbandis ac de ipsius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem Domibus celebrandi licentia, quae adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum Saecularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium praejudicio ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in Vestra et Natorum, Consanguineorum et Affinium in eadem Domo insimul habitan. Familiaeque, et quoad Oratoria Ruri existentia etiam in Hospitum Nobilium Vestrorumque praesentia, celebrari facere libere et licite possitis et valeatis ac Vestrum quilibet possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus: Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus aposto-

licis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod Familiares servitiis Vestris tempore dictae Missae actu non necessarij ibidem Missae hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de praecepto minime liberi censeantur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Februarii 1739.

Locum scilicet disputationi praebent verba illa: *In vestra ac Natorum, Consanguineorum et Affinium in eadem domo vobiscum insimul habitantium familiaeque praesentia celebrari facere libere et licite possitis et valeatis ac vestrum quilibet possit et valeat.* Quamvis enim minime dubitetur, quin Nepotes Baronis Lentini in eadem domo cum Patruo degentes, quotiescumque Missa eodem Barone vel ejus Coniuge praesente in dicto Oratorio celebratur, memorato Indulto rite recteque fruuntur, secundum ea, quae ad rem tradunt *Pignatell.* tom. 6. consult. 98. num. 92. et 93., *Ventrigl.* in prax. For. Eccl. part. 2. annot. 19. §. ult. num. 13., *Amotaz.* de causis piis lib. 5. cap. 10. num. 59., *Monacell.* formular. Legal. for. Eccl. part. 2. tit. 13. form. 2. num. 38., *Pasqualig.* de Sacrificio nov. Leg. quaest. 648. num. 4. et per tot., et *Eminentiss. Petra* in doctissimis suis Commentar. ad Constitut. Honorii III. sect. unic. num. 62. tom. 2. pag. 499.; quaestio tamen in eo sistit: num ex verbis praedictis, ut Missa licite possit in privato Oratorio celebrari, necessario requiratur praesentia Baronis vel Domini, in quem verba Indulti directa sunt. Porro praesentiam Indultarii omnino necessariam esse tradunt *Henriquez* lib. 7. summ. moral. cap. 13. num. 4., *Rodriquez* iu Bull. Cruciat. part. 2. tract. 2. cap. 3. sect. 8. num. 69. duplici potissimum moti ratione, altera nempe, quod inter verba: *in vestra ac Natorum etc.*

mediat dictio *Et*, quae praesertim in ejusmodi privati Oratorii Privilegio stricte interpretando juxta propriam significationem ita copulet personam Indultarii, ut absque ejus nequeant illius Consanguinei et Familia eo privilegio frui, et altera, quod iidem Consanguinei et Familia dependenter a Domino Indultario Privilegio ei principaliter impertito participant.

Contra vero hujusce Privilegii participes non fieri Consanguineos et Familiam ratione Domini tantum et dependenter ab illo, sed Privilegium ipsum, licet principaliter et primario Domino elargitum, Consanguineis quoque et Familiae in gratiam et commodum ipsius Domini censi concessum, ita ut nequeat proinde istis juberi, ne Missam in privato Oratorio celebrari faciant, docent ex Theologis *Castropal.* Oper. moral. part. 4. tract. 25. disput. unic. punct. 6. n. 9., *Tamburin.* in Opuscul. lib. 1. part. 2. cap. 4. §. 4. num. 4., *Quintanadvenas.* Theolog. moral. tom. 1. tract. 7. singular. 32. num. 52., *Gobat* Theol. moral. tom. 1. tract. 5. num. 370., *Aversa* de Euch. part. 71. de Sacrific. Missae sect. 14. vers. 7.; *Pasqualig.* de Sacrific. nov. Leg. q. 61., *Clericat.* de Sacrament. Euch. dec. 5. num. 47. in fin., et ex Canonistis *Amotaz.* de Causis piis lib. 5. cap. 10. n. 65., *Capon.* discept. 183. n. 20. et 21., *Novar.* in sum. Bullar. part. comment. 93. num. 8., *Ventrigl.* in prax. For. Eccl. part. 2. annot. 19. §. unic. n. 10., et alii adducti per *Pignatell.* tom. 6. consult. 98. num. 99. Immo ita in praxi servari testantur *Diana* oper. coord. resol. 40. num. 2. ibi: *Et ita est praxis; nam passim, absente Domino, ejus Familiares audiunt Missam in privatis Oratoriis;* et cum aliis *Quart.* in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. sect. 3. dub. 11. difficult. 2. pag.: Mihi 486., ubi ad Dubium: *an familia et quilibet de*

Familiaribus possit audire Missam et sibi celebrari facere in Oratorio privato sine praesentia Domini? post adductas rationes sententiae negativae affirmativam amplectitur et postremo ita concludit: *Tandem favet praxis communis, quia passim absente Domino ejus Familiares audiunt Missam in privatis Oratoriis.* His igitur in utramque partem libratis, necnon investigata praxi, quae modernis praesertim temporibus legitime vigeat, cum de cetero datum non fuerit ea de re aliquam Supremi hujus Consensus declarationem reperire, rogantur EE. PP. decernere:

I. *An in privato Oratorio, de quo agitur, celebrari possit Missae Sacrificium in absentia Domini ac praesente sola Familia?*

II. *An sustineatur sententia suspensionis Oratorii lata ab Episcopo Marsicen. in casu?*

S. C. C. resp. ad primum: negative; ad secundum: affirmative, et ad mentem.

Die 3. Decbr. 1740.

Decretum Jussu SS. D. N. Benedicti XIV. editum circa celebrationem missae in Oratoriis privatis.

(In eadem causa Marsicen.)

Cum exorta esset dubitatio: an ex vi hujusmodi Indulti liceret missam celebrari in privato Oratorio etiam sine praesentia alterutrius ex dictis Coniugibus, in quos Indulti concessio directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum Doctorum pro affirmativa et negativa respective sententia inter se certantium. Sacra Congregatio Concilii, ad quam hujus quaestionis resolutio relata fuit, die 3. Decembris 1740 censuit: *Non licere. Deinde vero Sanctissimus Dominus Noster, reprobata contraria Doctorum sententia, praedictam Sacrae Congregationis resolutionem ne-*

dum approbavit, verum etiam praesenti Decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri, non posse vigore similis Indulti celebrari Missam in privatis Oratoriis, quando eidem Missae actu non intersit aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum concessum est; Indultum vero principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum Personis illis, quae a tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur, adeo ut sine praesentia alicujus ex dictis Personis minime liceat Missae Sacrificium peragi, etiamsi praesens sit aliquis sive ex Filiis sive ex Consanguineis sive ex Affinibus sive ex Familiaribus sive demum ex Hospitibus Nobilibus in eodem Brevis memoratis, quippe quibus nil aliud per ejusmodi Brevia conceditur, quam quod unusquisque eorum (dummodo, quod attinet ad Familiares, juxta clausulam in iisdem Brevibus insertam, non sit ex illis actu non necessariis) assistens Missae, quae celebratur in Oratorio privato in praesentia alicujus ex Personis a tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi Missam diebus festis de praeepto. Sublata igitur et proscripta quacumque minus germana interpretatione ejusmodi Brevium et Indultorum in contrarium hactenus facta, Sanctitas Sua ita declaravit et servari omnino mandavit, districte praecipiens, ut omnes Episcopi aliique locorum Ordinarii, etiam tanquam a Sede Apostolica Delegati executioni et observantiae hujus Decreti diligenter incumbant per Canonicas poenas contra inobedientes eorum arbitrio constituendas.

Die 7. Jan. 1741.

A. Card. Gentili Praefectus.

C. A. Archiepiscopus Philippen.
Secretarius.

IV. Monachorum.

Vd. t. II. p. 453, 464 — 66.

Clemens PP. XIV.

Etsi universum Minorum convent. ordinem affectuosissima charitate amplectamur, dignum tamen est, quinimo et debitum, ut ejusdem Ordinis alumnos, qui illud idem officium, quo Nos ipsi fungebamur, dum ad Cardinalatus honorem assumpti fuimus, consultoris licet Congreg. Inquisitorum adversus haereticam pravitatem, pro tempore obtinent, specialibus gratiis decoremus. Hinc est, quod Nos motu proprio de ap. potestatis plenitudine tam dilecto filio Franc. Angelo Pastriovicchi ejusdem Ord. alumno in s. theologia magistro et dictae Congreg. Consultori, quam pro tempore existentibus ejusdem Ord. Consultoribus hujusmodi, ut ipsi omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, honoribus et indultis ac voce activa et passiva in capitulis et congreg. generalibus dicti Ordinis, quibus alii definitores generales Ordinis hujusmodi tam de jure et consuetudine quam alias quomodolibet utuntur et gaudent ac frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo et absque ulla prorsus differentia uti et gaudere libere et licite possint et valeant, indulgemus. Praeterea eisdem Franc. Angelo nunc et pro tempore existentibus consultoribus praedictis, ut ipsi in privato suarum mansionum in conventu ss. XII Apostolorum almae Nostrae Urbis existente Oratorio ss. Sacrificium missae, Paschatis Resurr., Pentec. et Nativit. D. aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, celebrare libere pariter ac licite possint et valeant, concedimus necnon facultatem satisfaciendi ad altare ejusdem Oratorii oneribus missarum ecclesiae conventus praedicti ipsis quoque tribuimus.

Non obstantibus quibuscumque etc.
Datum Romae die 28. Apr. 1771.
(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 312.
Ed. Rom. 1841.)

Verulana.

Episcopus Verulanus in Relatione status suae Ecclesiae ad hanc Sacram Congregationem transmissa juxta praescriptum a Summo Pontifice Sixto V. in ejus notissima Constitutione incipiente: *Romanus Pontifex etc.* haec inter caetera exposuit: „Patres Carthusiani vigore assertorum Privilegorum et signanter Alexandri VI. relationum a Roderic. Bullar. pro Regular. Bull. 14. in quadam eorum parva Grancia, quam retinent in Terra Turricis pro commoditate unius Religiosi laici, qui curam habet Granciarum, quas in eodem Territorio recolligunt, me irrequisito, erigi nuper fecerunt Oratorium privatam sub invocatione s. Annae cum Missae celebratione, quoties volunt, etiam diebus festis, quia vero ex eodem Oratorio patet fenestra prospectum habens ad viam, nonnulli ex populo in diebus festis Missam intra et extra Oratorium audiunt. Hinc, licet ego nolim indaginem assumere, an hujusmodi Privilegia fuerint per Sacrum Concilium Tridentinum abrogata, non possum tamen ab Eminentiss. VV. non sciscitari, anne populus praeepto audiendi Missam ibi satisfaciatur.

Ad hoc Episcopi postulatam die 30. Decembris 1733 nomine Sacrae Congregationis responsum fuit in hunc, qui sequitur, modum: „Oratorium a PP. Carthusianis in eorum asserta Grancia, ut vocant, apertum interdicto, quousque aliter a Sacra Congregatione imperatum fuerit. Sunt enim istae potius rurales domus ad conservandos fructus quam Granciae.“

Cum autem adversus hoc Interdictum reclamant PP. Carthusiani et instant pro illius remotione praetendentes sibi licere controverso Oratorio uti ac in eo tam per ipsos Religiosos quam per Presbyteros saeculares celebrari posse, et exteros quoque Missam ibi diebus festis audientes Eccle-

siae praeepto satisfacere, proponuntur duo infrascripta Dubia, ad quorum decisionem, praeter ea, quae in juribus circumferendis proferunt dicti PP. Carthusiani potissimum innixi peculiaribus sui Ordinis Privilegiis, de quibus agunt *Card. de Lugo* lib. 3. mor. dub. 15. num. 3., *Lezzan.* in mar. magn. Eremit. S. Augustini §. 37., *Nicol.* Lucubr. Can. lib. 5. tit. 33. limit. 2. et alia, quae in genere disserunt *Amostaz.* de caus. piis lib. 5. cap. 11. num. 28. et seqq., *Pasqualig.* de Sacrific. non leg. tom. 1. quaest. 484 et 498., *Tamburin.* de jur. Abbat. tom. 2. disput. 5. quæst., *Passerin.* de stat. homin. tom. 3. tit. de Profess. art. 10. inspect. 10., *Pelliciar.* in manual. Regular. tom. 2. cap. 2. sect. 2., *Monacell.* in formular. legal. part. 2. tit. 13. num. 3., praestat exponere Rescriptum, quod in hac Secretaria lib. 12. Decr. pag. 109. reperitur hisce verbis expressum: „Sanctissimus D. N. Gregorius XV. ex Sacrae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum sententia benigne indulgit, ut deinceps in Capellis seu Oratoriis existentibus in domibus ac membris seu Granciis Monasteriorum Ordinis Carthusiensium, postea tamen quum locorum Ordinarii ejusmodi Capellas semel visitaverint ac fabrica atque ornatu sacrae supellectili compererint pro dignitate nitere, Sacrosanctum Missae Sacrificium tam per Regulares, sive ejusdem sive alterius Religionis, quam Saeculares Presbyteros tuto celebrari valeat, Missamque inibi audientes diebus festis praeepto Ecclesiae hac de re edito satisfacere intelligantur, absque tamen ullo jurium Parochialium Ecclesiarum praejudicio“; ex hoc enim Indulto posteriore tot aliis Diplomatum Pontificiis per PP. Carthusianos allatis colligendum erit, num ipsis officiat, quod Oratorium, de quo agitur, nulla praecedente Episcopi visitatione, quin et

crificio assistet, Ecclesiae praecepto satisfecisse ducatur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 15. Sept. 1829.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 61.)

Pius PP. VIII.

Eximia pietas, religio et in Nos et hanc sanctam Sedem observantia carissimi in Christo filii Nostri Caroli felicis Sardiniae regis illustris promerentur sane, ut Nos spirituali consolationi suae, reginae conjugis ejusque regiae familiae, quantum in Domino possumus, consulamus.

Nos igitur piis ipsius regis votis annuere volentes, supplicationibus ejus Nomine Nobis porrectis permoti, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium concedimus, ut in privato suae regalis villae de Govone intra limites dioecesis Montis regalis provinciae Pedemontanae oratorio, muro exstructo et ornato vel exstruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per ordinarium visitando et approbando, *quotidie etiam in solemnioribus anni festis et hora ante auroram atque horam post meridiem in regis, reginae ejusque regalis domus praesentia vel de eorum licentia tot missae celebrari possint*, quot eorum pietas et religio exoptat, *excluso sabbato sancto et excepta feria quinta in coena Domini, in qua duae tantum permittuntur missae*, servato ritu illius diei, *praesente tamen aliquo ex regia familia*; utque *nocte Nativitatis Nostri Jesu Christi tres missae illius festivitatis servata consueta rubrica et hora praescripta, nempe post mediam noctem celebrari possint*: quae quidem missae in praefato oratorio celebrandae regi, reginae regiaeque familiae, ac omnibus cujuscumque sexus et conditionis in actu sacrificii adstantibus in praecepti satisfactionem audiendi missam diebus festis

prosint quibuscumque; ac praeterea eisdem regalibus personis eadem auctoritate concedimus, ut peracta sacramentali peccatorum suorum confessione sacram communionem etiam tempore paschali, non excepta feria quinta in coena Domini de concensu parochi, a sacerdote in commemorato oratorio celebrante sumere libere et licite valeant, itemque, ut *ibidem dum aliquis e regia familia in villa de Gorone versatur, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in cyborio asservari possit, dummodo lampas ante illud semper sit accensa* et clavis ejusdem cyborii a capellano diligenter custodiatur, salvis semper juribus parochialibus.

Deinde ut omnes missae in altari ejusdem oratorii, durante praesente indulto ad vitam regis et reginae concessio celebrandae animae seu animabus, pro qua seu quibus offerentur, suffragentur, indulgemus; utque omnes christifideles vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, qui oratorium privato die festo illius titularis pie visitaverint et ibi pro Christianorum principum concordiam, haeresum extirpatione ac sanctae Matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem consequantur. Iisdem etiam ipsis tribuimus et impertimur indulgentias tum plenarias tum partiales Basilicae Principis Apostolorum hic in urbe a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris imperditas, dummodo idem sacellum vel oratorium adeuntes injuncta omnia pro illis consequendis rite adimpleant. Demum ipsi regi, reginae reginaeque domui magis magisque gratificare cupientes eadem auctoritate Nostra singulis quibuscumque Christifidelibus, qui devotionem *Viae Crucis* inibi quoties passionis memoriam recolendo peregerint aliaque injuncta pietatis opera, ut moris est, persolerint, easdem in-

dulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quas fel. recordationis Innocentius XI., Innocentius XII. alique pontifices pariter praedecessores Nostri Christifidelibus praefatum exercitium in ecclesiis fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia et reformatorum nuncupatorum, ubi erectum reperitur, peragentibus concessere, apostolica etiam auctoritate tenore praesentium misericorditer in Domino elargimur.

Haec omnia concessa atque indulta volumus non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, *ut alii praeter regales personas supradictas missas, ut praefertur audire, numquam vero celebrare facere valeant.*

Datum Romae apud sanctum Petrum die 29. Januarii 1830.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 85.)

Gregorius PP. XVI.

V. Fr. Ep. Auximano.

Exponendum Nobis curavit dilectus filius comes Telesphorus Carradori Maceratae istius dioecesis, se aediculam nuper adstruxisse suis ruralibus aedibus contiguam. Quum autem impense cupiat ex iisdem aedibus ad eam aediculam aditum patere, itemque inibi odeum habere, ex quo licet augustissimo sacrificio interesse, atque ita diebus festis ecclesiastico praecepto satisfacere, suppliciter a Nobis petiit, eam ut veniam ex Nostra indulgentia sibi concedere velimus.

Nos igitur omnes et singulos quibus hae literae favent peculiari beneficentia prosequi volentes, acceptoque

tuo testimonio, ex quo Nobis innotuit, res ita se habere, prout expositae, tibi, venerabilis frater imponimus atque mandamus, ut auctoritate Nostra apostolica facultatem facias, cujus ope servata reverentia, quae Dei domum decet, ex oratoris ruralibus aedibus ad commemoratam aediculam pateat accessus, quae quidem non nisi hac de causa permittimus: praeterea ut inibi haberi possit odeum, e quo orator ejusque posteritatem consanguinei et affines, qui cum eis vitam degent, diebus quibuscumque per annum festis ex odeo illo adstantes sacerdoti, dum sacrum in aedivula facit, ecclesiastico praecepto rei divinae assistendi paruisse censeantur. Tibi vero curae erit, ut tum lignea tum ferrea crate odeum illud sepiatur, utque per inscriptionem publico et obvio loco positam constet confinem domum ecclesiastica immunitate minime frui; volumusque hac de re firmam ac ratam esse auctoritatem VV. FFr. S. R. E. Cardinalium ecclesiasticae immunitati praepositorum.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 31. Maji 1831.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 16.)

Gregorius PP. XVI.

V. Fr. Ep. Lyciensi.

Exponendum Nobis curavit dilectus filius Joannes Balsamo Lyciensi, se intra limites istius dioecesis amplas jam inde emisse aedes sacramque proximam aediculam, quam vetustate fatiscientem a fundamentis elegantiori forma iterum excitavit. Quum autem impense cupiat orator, ut ex odeo iisdem aedibus pervio sacrum ea in aedivula celebrandum audire atque ita diebus festis ecclesiastico praecepto satisfacere, supplici cum prece a Nobis petiit, ejus rei ergo apostolica venia muniri.

Nos igitur oratorem peculiari beneficentia prosequi volentes acceptoque tuo testimonio, ex quo Nobis innotuit, res ita se habere, prout expositae, eumque plane dignum, qui hoc donetur indulto, tibi venerabilis frater eas partes imponimus atque mandamus, ut oratori ejusque posteris auctoritate Nostra apostolica facultatem facias, cujus ope parvo odeo, quod eam despiciat aediculam sacram, libere ac licite uti possint, ita ut ipsi itemque consanguinei et affines una cum eis vitam degentes ac familiares tantum diebus quibuscumque per annum festis ex odeo illo sacerdoti adstantes, dum sacrificium eadem in aedicula celebrat, ecclesiastico praecepto rei divinae assistendi paruisse censeantur. Tibi vero curae erit, ut tum lignea tum ferrea crate odeum illud sepiatur, utque per inscriptionem publico et obvio loco positam constet, confines aedes ecclesiastica immunitate minime frui; volumusque hac de re firmam ac ratam esse auctoritatem VV. FFr. S. R. E. Cardinalium ecclesiasticae immunitati praepositorum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 11. Apr. 1834.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 611.)

Gregorius PP. XVI.

V. Fr. Ep. Alatrino.

Exponendum Nobis curavit dilecta in Christo filia Bernhardina De Caesaris vidua istius dioecesis. se ista in urbe a familia Motella aedes emisse parochiali ecclesiae sanctissimi Salvatoris proximas, ubi eidem familiae ex apostolicae Sedis venia data fuit odeo uti. Quum autem vel ipsa impense cupiat ejusmodi privilegio perfrui sed alia in aedium parte, illi quidem templo finitima, supplici cum prece a Nobis petiit, ut habito a te atque ab ecclesiae rectore consensu sibi facultatem

faciamus novum inibi adstruendi odeum, in quo ei liceat augustissimo sacrificio interesse, atque ita diebus festis ecclesiastico praecepto satisfacere.

Nos igitur oratricem peculiari beneficentia prosequi volentes, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut, quoniam ex tuo liquet testimonio, res ita esse, prout expositae, ac parochialis ecclesiae Sanctissimi Salvatoris rectorem hac in re fuisse assensum, auctoritate Nostra apostolica oratrici pro tuo arbitrio veniam concedas novum in commemorata ecclesia adstruendi odeum, in quo ut non solum ipsa sed ejus consanguinei et affines una secum vitam degentes, ac familiares diebus quibuscumque per annum festis sacerdoti adstantes, dum sacram facit, ecclesiastico praecepto rei divinae assistendi paruisse censeantur. Tibi vero curae erit ut tum lignea tum ferrea crate odeum illud sepiatur, utque per inscriptionem publico et apto loco positam constet, confines aedes ecclesiastica immunitate minime frui; volumusque hac de re firmam ac ratam esse auctoritatem VV. FFr. S. R. E. Cardinalium ecclesiasticae immunitati praepositorum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 26. Augusti 1834.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 655.)

Gregorius PP. XVI.

Omnium saluti paterna charitate intenti sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini Nostri Jesu Christi ejusque sanctorum suffragia meritorum consequi et illis adjuvae ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perducere valeant.

Expositum Nobis nuper est a dilectis filiis Barone de Damas ejusque conjugis, in eorum castro, cui nomen

d'Ilautefort intra limites Petrocoronensis dioeceseos esse sacellum, ubi ex apostolica venia sacram *quotidie* celebratur. Et quoniam castrum idem pluribus circumspectum familiis a parochiali Ecclesia longe distat, suppliciter a Nobis petiere, ut altare ejusdem sacelli privilegio apostolico perpetuo donetur, itemque ut inibi nonnullis per annum diebus sacram solemni ritu peragi possit, et sanctissimum Eucharistiae Sacramentum adorandum proponi, iisdemque diebus sacrae Indulgentiae lucriferi.

Nos igitur oratorum pietatem plurimum in Domino commendantes eorumque precibus permoti auctoritate Nobis ab ipso Domino tradita de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis vel cujusvis ordinis, congregationis et instituti regularis missam defunctorum pro anima cujuscumque Christianifideles, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad illud altare commemorati sacelli celebrabit, *anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur*, et Domini Nostri Jesu Christi ac beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberentur, concedimus et indulgemus. Eadem praeterea auctoritate Nostra facultatem facimus, qua in sacello, de quo agitur, de licentia tamen Ordinarii, tum dominica proximo festo Visitationis beatae Mariae Virginis tum in aliqua quadragesimae dominica per praefatum ipsum Ordinarium perfinienda sacrificium ex Ecclesiae ritu solemni celebratur atque Eucharistica hostia publice fidelium venerationi adoranda proponatur, itemque singulis quibusque Christianifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui praefatum sacellum

hiscie diebus cujuslibet anni devote visitaverint ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem quam etiam animabus Christianifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, misericorditer in Domino elargimur.

Datum Romae die 14. Jan. 1834.
(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 302.)

III. Missa in cujus praesentia celebranda?

Vd.: *Orator. priv.* (Missa in variis festiv., decr. Pii VIII.: *Eximia pietas etc.*, 29. Jan. 1830; decr. 4782 et pag. 460, 466 — 69.)

Marsicen.

Cum ad aures Episcopi Marsicensis pervenerit, Missam in privato Oratorio Domus Baronis Caesaris Lentini in Terra Brientiae existentis, absente licet eodem Barone una cum Coniuge, celebrari coram ejus Nepotibus in eadem Domo jugiter habitantibus, ratus id vigore Indulti Apostolici praefato Baroni a san. mem. Clemente XII. concessi haud quaquam licere, praevia Oratorii suspensione, inhibuit, ne Barone absente Missa deinceps ibidem celebraretur. De hac itaque prohibitione apud Sacrum hunc Senatam statim conquestus Baro Lentini duo, quae inferius describentur, Dubia ab Eminentissimis PP. hodie decidi postulat.

Indultum, ex cujus interpretatione pendet quaestionis excitatae solutio, sub hisce verbis dicto Baroni ejusque Coniugi directis conceptum est:

„Dilecte Fili et dilecta in Christo Filia salutem et apostolicam benedictionem. Spirituali consolationi vestrae, quantum cum Domino possumus, benigne consulere Vosque spiritualibus